EXAMINIS

ANNI MDCCCXLII

VERNALIS IN GYMNASIO MERSEBURGENSI SOLENNIA CELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INDICIT

CAROLUS FERDINANDUS WIECK

RECTOR ET PROFESSOR.

PRAEMISSA EST BREVIS EXPLICATIO SENTENTIARUM

DE ANIMI HUMANI IMMORTALITATE

APUD

POPULOS A IUDAEORUM SACRIS ALIENOS ANTE CHRISTUM NATUM EXORTARUM

AUCTORE

ALFREDO SCHMEREL

DOCT. PHILOS. ET AA. LL. MAG., GYMN. COLLAB. I.

MERSEBURGI

LITERIS HAEREDUM KOBITZSCHII.

§. 1.

Omnes fere homines vivendi quadam cupidine trahi, nemo, arbitror, in dubium et disceptationem vocabit. Cuius rei ratio haud difficilis est ad investigandum. Quanquam enim non uno modo pro varietate ingeniorum ad felicitatem homines contendunt, frustra tamen alia adfectarent bona, si vitam non optarent, quippe qui eius expertes nullo bono frui possent. Quisquis vero felicitatem comparare cupit, is fateatur necesse est, eam esse mancam, si non addatur perpetuitas, sine qua nullam vitam iure beatam arbitreris, veramque felicitatem esse talem, quae nunquam habeat finem. Bene ergo Cicero [1]: „*Si amitti vita beata potest, beata esse non potest.*" Sed quum totius vitae nostrae ea sit fragilitas, ut omni momento interitum minetur, nusquam miserius quidquam inveniretur homine, nisi praeclaris argumentis doceri posset, animam nostram esse immortalem, neque interire post discessum e corpore. Huic immortalitati firmissimum praesidium esse in ea coniunctione, quae nobis sit cum Deo, manifestum et apertum est. Magnum vero solatium, magnum dolorum fomentum, magnum denique fructum ex spe certa aevo sempiterno fruendi redundare, nemo ibit infitias. Dici non potest, quantam vim ea res habeat ad animum iacentem et afflictum excitandum et erigendum. Excessum eorum, quibuscum nobis intercessit arctissima necessitudo, quorumque memoria ex animo nostro nunquam decedet, insolabiliter lugeremus, si non adessent rationes idoneae et aptae ad confirmandam spem immortalitatis. Quotusquisque est, qui mortis, qua ad nihilum redigi videamur, metu liberari, ut aequo animo aliquando mori possit, non cupiat? Nemo ignorat, nihil fere commodi his in terris nobis obvenire, quod non aliquo extenuetur incommodo, neque unquam nostram conditionem esse talem, in qua nihil possit desiderari. Quum omnia fere huius vitae gaudia aerumnis et molestiis sint coniuncta, nullaque fortuna humanis rebus solide adfulgere soleat, nihil potest esse tam apertum tamque

1) Fin. II, 86.

perspicuum, quam homini liquidiora gaudia expetenti spem haud mediocrem esse reponendam in alia vita post mortem agenda. Quae quum ita sint, non solum ii, quorum vita in discrimen summum vocatur, sed etiam multi, qui annis vigent, neque in mortis periculo versari videntur, nihil fere magis optant, quam ut, quid de animi sorte vinculis corporis soluti sperandum sit, accuratius cognoscant. Itaque non mirum est, eorum quoque, qui sacras Christianorum literas non nossent, nonnullos, immortalitatis desiderio flagrantes, aliquid excogitasse et reperisse, quo ostenderent, animum e corpore profectum vigere neque exstingui. Iam ante Christum natum, ut ex veterum monumentis abunde patet, apud populos a Iudaeorum sacris alienos de animarum immortalitate quaedam ferebantur sententiae, quarum vestigia hoc in opusculo breviter persequi in animo est.

§. 2.

Origo opinionis ad animi aeternitatem spectantis longe antiquissima et prope cum ipsa generis humani nascentis origine coniuncta fuisse videtur. Quae opinio, quod quodam modo in naturae ordine est posita, eo facilius in multorum animis radices agere potuit. Nihil esse in omni mundo, quod re vera ad nihilum redigatur, nemo, credo, negare audebit; neque video, cur hoc non valeat in animis hominum. Coelum astris ornatum si quis saepe conspiciat, ac res coelestes diligenter contempletur, animadvertet, multas stellas tum occultari, tum rursus aperiri. Qua re commoti non possumus, quin suspicemur, similem naturam esse animis nostris. Quotannis terra post hyemem renovatur; quae quum ita sint, non video, cur non eadem ratio in hominibus sit, ita ut post mortem renoventur. Quid de somno loquar? Nonne iure mortis imago vocatur? Quod si ita est, nonne fieri potest, ut qua somno solvimur, eadem ratione aliquando post mortem ad vitam redeamus? Quod qui dubitet, vix intelligo, cur non idem, crastinus dies venturus sit, an non, dubitare possit. Certe haec et alia vim haud mediocrem ad spem vitae sempiternae confirmandam habere videntur. Maxime vero naturae tacito iudicio animi aeternitatem confirmari, Ciceroni saepe cogitanti de hisce rebus placuit. Nam in eo libro, qui est de contemnenda morte, dicit haec [1]): „*Maximum vero argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curae sunt, et maxime quidem, quae post mortem futura sint.* „„*Serit arbores, quae alteri saeculo prosint,*““ *ut ait Statius in Synephebis: quid spectans, nisi etiam postera saecula ad se pertinere?*“ Deinde paullo

1) Tusc. I, 14.

infra: „*Quodsi omnium consensus*, inquit, *naturae vox est: omnesque, qui ubique sunt, consentiunt, esse aliquid, quod ad eos pertineat, qui vita cesserint: nobis quoque idem existimandum est; et si, quorum aut ingenio, aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sunt, cernere naturae vim maxime: verisimile est, quum optimus quisque maxime posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus.*“ Haec Cicero. Nunc autem in eo sumus, ut ad remotissima historiae tempora animum advertamus.

§. 3.

Quanquam non satis compertum est, ubi terrarum leges et magistratuum imperia valere coeperint, diligentes tamen investigatores antiquitatis sibi persuaserunt, in India dissipatos homines primum in societatem vitae convocatos esse. Sed etsi antiquissima aedificia, quae ibi supersunt [1]), quorumque origo ultra Troiana tempora facile est quaerenda, pristinum Indorum splendorem satis declarant, historia tamen huius gentis antiqua densissimis tenebris premitur. Ad libros Indorum antiquissimos Sanscrito sermone confectos, quod adtinet, in eorum numerum referendi sunt libri ad Indorum sacra spectantes, qui *Veda* appellantur, et leges Mani, nec non duo carmina epica, quae *Râmâyana* et *Mahâbhârata* inscribuntur, sed quo tempore hi libri conditi fuerint, non satis constat, nam secundum quosdam multis saeculis ante Christum natum sunt conscripti, secundum alios ad seriora tempora reiiciendi. Quam discrepantiam non est cur miremur, nam in re tam incerta viri docti coniectura potius quam certa aliqua ratione ducantur necesse est. Sed utut haec sunt, id certe exploratum satis esse putaverim, illa opera, etiamsi seriore aevo nonnullas mutationes passa esse videantur, tamen ante res Romanas ad unum Dominum reductas esse condita.

India vero, quae terris remotissimis a veteribus adnumerabatur [2]), Graecis primum per Persas temporibus Darii Hystaspis filii, qui Indiae septentrionalis partem suae ditionis fecit, innotuisse videtur; nemo enim Graecorum ante Aeschylum et Herodotum eius regionis mentionem fecit. Maxime autem apud veteres Alexandri Magni et Seleuci Nicatoris expeditionibus India inclaruit cum suis philosophis, qui a Graecis gymnosophistae vocabantur, quia nudi (γυμνοί) aetatem agebant [3]). Nihilo tamen secius Graecorum et Romanorum scriptores in rebus Indicis investigandis magna cautione sunt audiendi, quum veteres exterarum gentium haud raro notitiam nonnisi mancam haberent.

1) Heeren, Ideen u. s. w. Th. I. Abth. 3, S. 11. u. f.
2) Cic. Verr. II, 5, 64. — Horat. epist. I, 1, 45. — Strab. lib. 15. in.
3) Cic. Tusc. V, 27. Conf. Plin. H. N. VII, 2.

ob eamque causam earum res multis fabulis replerent et obscurarent. Quae quum ita sint, neque dici possit, quam mire in rebus gestis enarrandis varient ipsorum Indorum annales [1]), sequitur inde, antiquam huius gentis historiam admodum incertam et magnis difficultatibus esse cinctam.

Sed etsi manifestum est, illas res magnis tenebris obvolutas esse, tamen non est dubium, quin iam antiquitus animae immortalitatem asseruerit ea gens. Quae ex libris, qui *Vedam* inscribuntur, et ex Mani legibus ea de re citantur, ad metempsychosin spectant, et huc redeunt, originem animae humanae esse divinam, animasque eorum, qui pietati adhaereant, sole adiuvante a sordibus esse purgandas, iisque post mortem de corporibus ad corpora multis vicibus migraturis reditum ad animam mundi, quae *Atma* vocetur, patere; impiorum autem animas in animalia, quin etiam in plantas migraturas tamdiu esse excruciandas, donec studio ad fontem suum redeundi incensae sint, sed eo nisi permagnis ambagibus non esse reversuras [2]). Cum his, quae modo commemoravimus, conferenda sunt luculenta testimonia scriptorum Graecorum et Romanorum statim laudanda [3]), e quibus patet, Indos certam spem in vita post mortem agenda collocasse, ob eamque causam interdum morbo delassatos mortem sibi ipsos conscivisse. Omnium autem, qui inter Indiae sapientes numerabantur, atque eo modo minime probando vita excedebant, nemo apud veteres maius nomen consecutus esse videtur quam Calanus. Qui, patria relicta, senex septuaginta trium annorum, Alexandrum Magnum secutus, Persepoli, quum in morbum incidisset, sua voluntate vivus combustus est. De eius verbis in vitae fine dictis Cicero in primo libro de divinatione [4]) ita scribit: „*Ad mortem proficiscens Calanus Indus, quum inscenderet in rogum ardentem: O praeclarum discessum, inquit, e vita, quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem animus excesserit! Quumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret: Optime, inquit: propediem te videbo. Quod ita contigit; nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus.*“ Hactenus Cicero. Historiam Calani pleniorem apud Strabonem [5]) et Arrianum [6]) invenies.

---

1) Schlosser, Universalh. Uebers. d. Gesch. d. alt. Welt. Th. I. Abth. I. S. 109—113.

2) v. Bohlen, das alte Indien. Th. I, S. 170—177. Stuhr, die Rel.-Syst. d. heidn. Völker d. Orients, S. 83—86.

3) Conf. etiam Clem. Alex. Strom. 3. p. 539. ed. Pott., ubi haec leguntur: *καταφρονοῦσι δὲ θανάτου, πείθονται γὰρ εἶναι παλιγγενεσίαν.*

4) cap. 23. — 5) XV, c. 1. ex. — 6) de exped. Al. VII, 3. — Conf. etiam Diod. Sic. XIX, 2. Plut. Alex. 65. Ael. V. H. V, 6.

Praeter Indos Sinas quoque et Iaponenses antiquissimis gentibus adscribendos esse, iudicio confirmatur doctorum virorum, qui in interpretandis libris Sinicis et Iaponensibus versati sunt. Non autem diffitendum est, hasce duas gentes ante Christum natum Hebraeis, Graecis et Romanis paene ignotas fuisse videri, quod tamen nos non impellit, ut de earum antiquitate dubitemus. Idoneis quoque de causis eorum opinioni accedere possumus, qui terram Sinim (אֶרֶץ סִינִים) a Iesaia propheta commemoratam [1]) esse Sinam regnum arbitrantur [2]). Quod autem adtinet ad Seres e veterum libris satis notos, id nomen tantum ad eos Sinenses, qui partem mediae Asiae incolebant, pertinuisse dicitur [3]). Inter omnes autem Sinensis nationis veteres sapientes nemo magis excelluit, quam *Cong-fu-dsü* vel Lusitanorum pronunciatione Confucius, cuius libri usque ad nostram memoriam in illo regno Asiatico sunt maximae auctoritatis. Ob incertissimas Sinarum rationes temporum de huius philosophi aetate nihil quidem certi constat, sed verisimillimum est, eum Cyro, Persarum rege, regnante vixisse. Quanquam autem Sinae Confucium tanquam disciplinae suae auctorem venerantur, nos tamen non omni ex parte in eius sapientia delectari possumus; nam ut de aliis rebus taceam, merito in eo reprehendendus est, quod de animarum immortalitate nihil docuit. Huic opinioni veteres Sinae non satis animum intendisse videntur, nam quae occurrunt eius rei in antiquis eorum commentariis vestigia, eo redeunt, hominum corpora post mortem terrae esse reddenda, animasque piorum in coelum migraturas hisce in terris posterorum fama honoratum iri. Sed quod adtinet ad animi ex hac vita migrantis sortem paullo accuratius definiendam, ea res penitus neglecta esse dicitur in illis libris [4]).

Cum Sinis autem aliquando frequens consuetudo Iaponensibus fuisse videtur; hae enim gentes, quanquam lingua inter se differunt, tamen iisdem fere institutis et moribus utuntur. Iaponensium autem antiquissimus Deorum cultus, qui *Sinto* vocatur, non e terra peregrina advectus, sed apud ipsos diu ante Christum natum ortus esse creditur; cuius religionis vestigia in illis insulis usque ad nostram aetatem remansisse certum est. Quod autem adtinet ad sortem animi corpore soluti, de ea e placitis doctrinae Sintoniae nihil fere patet praeter haec, bonorum animas post discessum e corporibus cum universa rerum anima coniungi ad modum fluviorum mari haustorum, malorum

1) Ies. XLIX, 12. — 2) Gesenius Comment. üb. d. Iesaia Th. II, S. 131. — 3) Schlosser, Universalh. Uebers. d. Gesch. d. alten Welt, Th. I, Abth. I. S. 89. — 4) Stuhr, d. Rel. Syst. d. heidn. Völk. d. Orients, S. 15. u. 16.

autem animis idem evenire post longos molestosque circuitus [1]). Quam imperfecta talis sit opinio, nemo, arbitror, est, qui non videat.

§. 4.

Firmiores opiniones quam apud Sinas et Iaponenses de animorum immortalitate oriebantur apud plures populos, qui ab Indis Indo fluvio divisi ad mare Caspium usque habitabant, atque omnes uno et eodem nomine quondam Arii sunt vocati [2]), cuius loco scriptores recentiores *Zendorum* nomine sunt usi. In horum populorum numero reponebantur Bactri, Medi et Persae, quorum disciplinam ad ignis, tanquam numinis omnia animantis, cultum spectantem a Zoroastre aliquantulum mutatam esse accepimus. Sacerdotes autem eorum magi vocabantur, qui rebus divinis praeerant, et congregabantur in fano commentandi causa atque inter se colloquendi [3]). De tempore, quo vixerit Zoroastres, vel ut lingua Zendica vocatur, *Zerduscht*, certo nihil sciri potest; floruit quidem regnante rege quodam *Guschtasb*, quem propter similitudinem nominis complures credunt esse Darium, Hystaspis filium, sed est locus suspicioni, Zoroastrem multis annis ante hunc Darium fuisse [4]). Nec certius est, quod de eius patria traditum est. Si Diogenem Laërtium [5]) sequimur, erat Persa, si Iustinum [6]), Bactrianus, sed non sine magna veri similitudine affirmari potest, eum fuisse Medum [7]). Doctrinae Zoroastris plenus est liber *Zendavesta*, lingua Zendica confectus, quem saeculo antecedente primus ex India in Europam transtulit *Anquetil du Perron*. Magna autem quaestio exorta est, utrum is liber a Zoroastre ipso, an a scriptore serioris aevi sit conditus [8]). Ea de re in utramque partem multum disputatum est, sed quoquo modo illa res se habet, id certum est, illum librum omnino ea sapere, quae tanquam a Zoroastre dicta scriptores Graeci et Romani nobis retulerint. Quod autem adtinet ad huius viri opiniones, inprimis notandum est, eum haberi auctorem eius disciplinae, quae vulgo dualismus vocatur, nam ex eius sententia a numine quodam aeterno, quod *Zerwane Akerene* appellabat, duo erant Dii procreati, vehementer inter se discrepantes, quorum *Ormuzd* vel Oromasdes (Ὠρομάσδης) [9]) lucis et felicitatis, *Ahriman* autem vel Arimanius (Ἀρειμάνιος) [10]) tenebrarum et mali auctor putabatur. Quod idem Zoroastres de futura animae sorte docuit, huc fere redit: animas hominum, antequam mortalibus corporibus cingerentur, esse in coelo; easdem animas tribus diebus post

---

1) Stuhr, d. R. S. d. h. V. d. O., S. 46. u. 47. — 2) Herod. VII, 62. 66. Strab. l. 15, cap. 2. — 3) Cic. Div. I, 41. — 4) Conf. Plin. H. N. XXX, 1. 2. — 5) Prooem. §. 2. — 6) Iust. I, 1. — 7) Buhle, Lehrb. d. Gesch. d. Philos. Th. I, S. 72. 73. — 8) Buhle, Th. I, S. 66—71. — 9) Diog. Laërt. prooem §. 8. — 10) Diog. Laërt. ibid.

discessum e corporibus in montem *Albordsch* [1]) altissimum et antiquissimum esse perventuras, ubi tres essent iudices, qui *Mithra, Raschnerast* et *Serusch* nominarentur; animis eorum, qui Oromasdem sectati essent, per *Tschinewad* pontem iter dari ad *Gorotman* locum, ut ibi beatae aevo sempiterno fruerentur; animas autem eorum, qui Arimanio fuissent dediti, in horridam voraginem *Duzakh* dictam praecipitari, ibique magnis cruciatibus tamdiu esse afficiendas, donec a *Sosiosch* quodam liberarentur post victum Arimanium [2]). Utrum vero censuerit Zoroastres, Arimanium ipsum aliquando beatorum sedi adscriptum iri, nec ne, id ex eius placitis non satis liquet [3]). Caeterum autem monendum est, Gauros aut Guebros, qui a veteribus Persis oriundi in India et Persia habitant, usque ad nostram memoriam in Zoroastris sententiis mansisse.

§. 5.

Medis, quorum supra mentionem fecimus, finitimae erant plures gentes, quae inter Tigrim fluvium et sinum Issicum incolentes, omnia fere loca ad Pontum Euxinum usque tenebant, et a viris doctis populis, quos Semiticos vocant, adscribuntur. A Graecis autem interdum Syri vocabantur [4]), quanquam Syria proprie ea tantum regio appellabatur, quae mari mediterraneo proxima ad hanc aetatem usque id nomen retinuit. Inter has gentes, rebus veterum Persarum nondum adultis, Assyrios et Babylonios fama nominis sui magnam orbis terrarum partem implesse, satis constat. Apud Babylonios autem, qui interdum cum Assyriis a scriptoribus confundebantur, astrorum cognitione et astrologia olim magnum sibi nomen comparabant sacerdotes, qui sideribus divinitatem tribuebant et Chaldaei dicebantur [5]); cuius quidem nominis causa incerta est, sed verisimile est, eos ab eiusdem nominis gente olim inclyta fuisse oriundos [6]). Doctrinae autem Chaldaeorum quum pauca tantum et rara vestigia in literis sacris veterumque commentariis reperiantur, atque ea, quae de Berosi libris ea de re conditis [7]) adhuc supersunt, apud plerosque haud magnae sint auctoritatis, non mirandum est, nos illorum placita paene omnia latere. Caeterum de vita animarum, quae e corporibus excesserint, aliquid ab iis statutum esse, Diodorus Siculus confirmat; tradidit

---

1) Gesenius Comment. üb. d. Iesaia, Th. II, S. 319—321. — 2) Stuhr, S. 368—371. Conf. Gesen. Comment. üb. d. Ies. Th. I, Abth. II, S. 805—807. — 3) Stuhr, S. 371. u. 372. — 4) Strab. lib. 16. in. — 5) Diod. Sic. II, 24. Strab. XVI, 1. Arrian. VII, 16. — 6) Gesenius Comment. üb. d. Jes. I, 749. Stuhr, S. 415. — 7) Berosi Chaldaeorum hist. quae supersunt cum comm. de Ber. vita et librorum eius indole auct. I. D. G. Richter, Lips. 1825. (Vixit B. saec. 3. ante Christ. nat.)

enim [1]), e Chaldaeorum sententia eas stellas, quae apud ipsos omni anni tempore occultarentur, a vita defunctis cerni.

A Chaldaeis autem Phoenices veteresque Arabes in multis rebus, iis inprimis, quae ad res sacras spectarent, haud multum dissensisse, ea probant, quae ea de re e totius antiquitatis ruderibus a viris doctis sunt eruta [2]). Carthaginienses vero a Phoenicibus oriundos horumque disciplina fuisse instructos, satis notum est; eos quoque de futura post mortem vita aliquid sensisse, docent, opinor, verba Poeni apud Plautum de hospite Aetolio emortuo loquentis [3]):

„— — — *bram tippal eth chajil schichnatham lejiphah* [4]).“

Quae verba Punica sic transferri solent:

„— — — *in coelo coniunctus est cum coetu (beatorum), quorum habitatio est in splendore.*“

§. 6.

Quae hactenus de difficultate in rebus antiquis investigandis passim diximus, eadem fere de veterum Aegyptiorum rebus sunt dicenda, quae magna obscuritate laborant. Eam gentem antiquitate eminuisse, magna vestigia veterum Thebarum centum liminibus inclytarum nobilesque pyramides satis declarant. Illud quoque hanc opinionem haud parum confirmat, quod antiquissimi generis humani scriptores testantur, eorum iam aevo Aegyptios ad humanitatem quodam modo fuisse excultos [5]). Non autem diffitendum est, res eius gentis pristino tempore gestas multis fabulis esse refertas. Graeci, quibus in ea historiae parte plurimum debemus, saepe ita inter se iis de rebus dissentiunt [6]), ut maior discrepantia vix inveniatur. Interdum nova cum antiquis confudisse, et, quum Aegyptiorum instituta cum suis compararent, nonnulla supposuisse et confinxisse videntur. Notum est quoque, nonnulla placita non apud omnes eius regionis incolas valuisse [7]), licetque auspicari, veteres non semper ad eam rem animum satis intendisse. Neque illud praetermittendum est, Aegyptios cum peregrinis nisi caute non esse versatos, ob eamque causam multa tacita tenuisse. Quod autem adtinet ad ipsorum monumenta scripturae symbolicae aliisque literis mandata, quae adhuc exstant, in iis interpretandis magna inter viros doctos est dissensio.

---

1) Diod. Sic. II, 31. — 2) Conf. Stuhr, S. 382. — 3) Plaut. Poen. Act. V, sc. 1, v. 6. — 4) ברם טפל את־חיל שכנתם ליפעה Conf. Bellermann; Versuch einer Erklärung der pun. Stellen im Pönulus des Plautus. — 5) Gen. XII, 10—20. XXXIX. bis XLI. conf. Act. apost. VII, 22. Homer. Iliad. IX, 381—384. — 6) Beck Weltgesch. I, 691. ff. — 7) Herod. II, 42. 69.

Aegyptios iisque conterminos Aethiopas eodem fere sermone et cultu usos esse, plerique consentiunt. Indorum instituta ab his populis esse ducta, nonnullis visum est, neque negari potest, haud parvam concordiam fuisse inter veterum Aegyptiorum Indorumque disciplinam, sed maiore iure in eorum sententiam discedimus, qui Aethiopum et Aegyptiorum placita ex India esse translata putant [1]. Posita est etiam quaestio, quousque in animi cultu progressi sint veteres Aegyptii. Ea gens, ut quidam existimaverunt, doctrina et omnium literarum genere non solum caeteris gentibus orbis antiqui longe praestitit, sed etiam seriori mortalium generi non multum cessit. Quae opinio, quum certis argumentis egeat, minime probanda videtur, magisque iis adsentiendum est, qui putant, Aegyptios, quamvis ingeniorum sollertia excelluerint, in multis tamen rebus non multum ultra prima elementa progressos esse.

Herodoto, historiae parente, testante [2], Aegyptii erant primi, quibus inerat persuasio, hominum animas esse immortales. Idem scriptor auctor est, Aegyptios metempsychosi fuisse addictos, tradidit enim in eo libro, qui inscribitur Euterpe, ex illorum opinione hominum animas, corporibus exstinctis, in corpora bestiarum migrare, sed post tria millia annorum tandem in corpora hominum remigrare. Addit quoque, plures Graecorum eam opinionem tamquam suam propagasse [3].

Aegyptii, ut e Plutarcho discimus, locum esse censebant, qui **Amenthes** (Ἀμένθης) diceretur [4], quo se conferrent animae, relicto corpore. Nihil quidem huiusmodi apud Herodotum reperimus, sed non est, cur horum scriptorum alteruter ea de re erroris incusetur; nam utriusque testimonia sic inter se conciliari possunt, ut statuamus, Amenthem eum locum esse habitum, ubi animae comperirent, quali corpore denuo essent cingendae. Caeterum proborum sors post mortem longe alia putabatur, quam eorum, qui in his terris Deorum et hominum iura violaverant. Amenthis autem vocabulum ab eadem origine deductum esse creditur, unde vox Sanscrita *amanthas*, quae eandem habet vim quam apud Latinos *occidens* [5].

Magnam autem curam Aegyptii ponebant in condiendis et sepeliendis mortuis, putabant enim, eam rem haud parum valere ad futuram animarum sortem. Nemini autem suprema solvi poterant, nisi sacerdotum concessu. Mos

---

1) Leo, Lehrb. d. Universalg. B. I, S. 83.: „Da bei den Indern alles auf Anfänge im Norden deutet, ist schon an und für sich das Wahrscheinlichste, die äthiopischen Priester von Indien herzuleiten.“ — 2) Herod. II, c. 123. — 3) Herod. ibid. — 4) Plut. de Is. et Osir. c. 29. Conf. Diod. Sic. I, 96. Ersch. u. Gruber, Allg. Encycl. Th. III, S. 347. bis 349. — 5) v. Bohlen, das alte Indien II, 459.

erat Aegyptiorum; quadraginta e numero sacerdotum deligere, qui iudicarent, utrum aliquis eo honore dignus esset nec ne. Cuilibet data erat potestas, defunctorum res gestas in medium proferendi, sed ne quis sibi concessum putaret, de alicuius fama detrahere, calumniatoribus graves poenae statuebantur [1]). Acerbum erat omnino totum illud iudicii genus, sed homines a flagitiis avocare, eosque impellere debebat, ut sepulturae praemio dignum aliquid facerent.

§. 7.

Aegyptiam originem plura Graecorum instituta adseverasse, ea de re inter auctores satis convenit. Prisci enim Graeci, quum maxime oras maritimas insulasque insiderent, facile aliarum gentium, quae mari navigabant, adventibus et hospitiis miscebantur; itaque non mirum est, peregrinas disciplinas apud eos invaluisse, et ab hominibus sollertibus esse auctas et in melius excultas. Quantopere autem veteres Graeci in plerisque rebus ad animi cultum spectantibus praeter caeteras antiqui orbis gentes praestiterint, eorum ingenii monumenta satis superque demonstrant.

Quid de animorum immortalitate vetustissimi Graecorum senserint, ex Homeri et Hesiodi libris hauriri potest. Monendum autem est, horum poëtarum priorem passim paulo obscuriùs ea de re locutum esse; quin etiam ex nonnullis eius dictis patere videtur, illo iam aevo non omnes Graecos de statu animarum corporibus migrantium unam eandemque sententiam tenuisse. Quae autem apud eundem ad animas e corporibus profectas spectant, in undecimo Odysseae libro et passim alibi leguntur, atque eo redeunt, hominis mortui animam (ψυχήν) et figuram humanam (εἴδωλον) corpore privatam quidem manere, sed re quadam animante, quam τὰς φρένας poëta nuncupabat, ad vitam in hisce terris agendam necessaria carere [2]), hominis animam esse spiritum a vivis ductum, eamque umbrae similem corpore excedentem ad Orcum pervenire, qui locus esset extra fines orbis a vivis habitati, ibique vitae in terris actae haud immemorem iisdem, quibus antea, rebus operam navare; improbis graves poenas statui [3]); Orcum esse habitationem tam tristem, ut eius incolae desiderio corporis relicti caperentur [4]); in Herculem Deorum coetui adscriptum immortalitatem una cum perpetua iuventute esse collatam, ita tamen, ut eius figura humana (εἴδωλον) in Orco versaretur [5]); Menelaum, Iovis generum, morti non

1) Diod. Sic. I, 92. — 2) Hom. Il. XXIII, v. 103. 104. — 3) Hom. Il. III, 278. 279. — 4) Hom. Il. XVI, v. 856. 857. Od. XI, v. 489—491. — 5) Hom. Od. XI, v. 601—603. (Hos autem versus non esse genuinos, nonnulli putaverunt.) Conf. Hesiod. Theog. v. 950—955.

fuisse obnoxium, sed vivum ad Elysium, terram amoenissimam, penetrasse, ad aevum sempiternum beate fruendum. [1])

Hesiodus autem auctor est, animas hominum e primo mortalium genere, quod χρύσεον γένος μερόπων ἀνθρώπων nuncupat, a vivis quidem cerni non posse, sed inter eos ambulare, bonis eos adiuvantes, et hominum facta moresque adtendentes [2]), animas autem heroum, qui Thebas et Troiam obsederint, in beatorum insulis frugum feracissimis, procul a generis humani sedibus in Oceano sitis, vita beata curisque vacua frui. [3])

Praeter has sententias, quae ex Homeri et Hesiodi libris a nobis relatae sunt, apud vetustissimos Graecos aliae quoque invaluerunt de tricipite apud inferos Cerbero, de Charonte, infernae aquae nauta, de bibendis aquis Lethaeis et de aliis eiusmodi rebus. Quo magis autem apud Graecos ingenia excolebantur, eo minus homines doctrina aliqua exculti in talibus rebus acquiescere poterant. Itaque novae opiniones multis sunt probatae, quae, ut a vulgi contemtu salvae conservarentur, magna cum cura tacitae habebantur. Quae autem ad eiusmodi arcanam doctrinam pertinebant, mysteria nominabantur, inter quae Cereris mysteria Eleusinia maxime eminebant. Haec ab Orpheo vel Melampode esse invecta, nonnulli putaverunt, sed quoquo modo ea res se habet, id tamen solis iubare clarius esse videtur, ea mysteria nonnisi multo seriore aevo ad perfectionem quandam pervenisse. [4]) Qualis autem fuerit illa doctrina Eleusinia, non satis quidem demonstrari potest, quum initiati omnia fere, quae ad eam spectarent, celare deberent [5]), sed quantum ex nonnullis antiquitatis testimoniis colligi potest, ea disciplina circa accuratiorem et veriorem scientiam de Deo et de animorum immortalitate versabatur. [6]) Qua de re Cicero in libro secundo [7]) de legibus hisce verbis usus est: „*Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vitam hominum adtulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita, exculti ad humanitatem et mitigati sumus: initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.*“ Haec autem Ciceronis verba conspirant cum iis, quae apud Isocratem in panegyrico [8]) ea de re leguntur. Eorum mysteriorum famam paulatim ad omnes

1) Hom. Od. IV, 561—569. — 2) Hesiod. op. et d. v. 108—126. — 3) Hesiod. op. et d. v. 156—173. Conf. Pind. Ol. II, v. 109. etc. — 4) Stuhr, die Religionssysteme der Hellenen, S. 406. — 5) Liv. l. 31, c. 14. Meurs. in Eleus. cap. 20. — 6) Potter's Griech. Arch. übers. von Rambach, Th. I, S. 834—836. Reise d. jung. Anacharsis, übers. v. Biester, Th. V, S. 436—439. — 7) c. 14. — 8) §. 6.

fere gentes manasse, intelligitur e Ciceronis libro primo de natura Deorum, ubi haec leguntur [1]): „— *Eleusina sanctam illam et augustam, ubi initiantur gentes orarum ultimae.*“ Infelices autem putabantur ii, qui non erant initiati [2]). Caeterum mysteria Eleusinia, quanquam temporum decursu varias mutationes senserunt [3]), usque ad initium quinti post Christum natum saeculi permanebant, qua tempestate ob crebras barbararum gentium irruptiones multis locis literarum cultum exspirasse satis notum est. Suspicari quoque licet, homines, quo magis Christianam doctrinam cognoscerent, eo minus fuisse propensos ad arcanam illam disciplinam retinendam.

§. 8.

Philosophorum Graecorum quis primus de animi immortalitate disseruerit, non satis constat. Apud nonnullos auctores invenimus, Thaletem Milesium huiusmodi quiddam iam docuisse [4]). Sed quum Thales asseruisse diceretur, animam per se moveri (esse κινητικόν τι) [5]), forsitan ex nulla alia huius viri sententia, nisi ex hac, coniecturam fecerunt seriores, eum hoc modo animi immortalitatem probare voluisse. Traditum est etiam apud Diogenem Laërtium, eundem philosophum dixisse, mortem nihil a vita differre, et cur non moreretur interrogatum respondisse, se hac ipsa de causa mortem non desiderare, quia a vita non differret. [6]) Sed etsi hoc Thaletis responsum fictum esse negaverim, non tamen asseruerim, eum illis verbis ad animi immortalitatem respexisse.

Ciceronem autem si sequimur, Pherecydes, ex Syro insula oriundus, Pythagorae magister, primus dixit, animos esse hominum sempiternos. [7]) Idem scriptor tradit, eam de immortalitate opinionem maxime a Pythagora esse confirmatam. [8]) Quod autem adtinet ad Pythagorae vitam et doctrinam, passim adeo discrepat inter veteres, ut, quid verum sit, interdum discernere non queas. Huius viri mire celebris historiam haud parum esse obscuram, nemo mirabitur, nisi qui ignorat, idem multis aliis eiusmodi viris evenisse. Simili ratione eius se habet doctrina. Quum enim eius discipuli omnia fere, quae ad eam disciplinam pertinerent, deberent celare, et ea, quae ab illo magistro essent exposita, passim suo ingenio exornarent, nec non multa ipsi excogitarent, non solum illa disciplina vulgi notitiam effugit, sed etiam facile

---

1) cap. 42. — 2) Hom. hymn. ad Cer. v. 481, et 482. — 3) Stuhr, die Rel. der Hellenen, S. 489—492. — 4) Plut. de plac. phil. I, 8. Diog. L. I, 24. Suid. s. v. Θαλῆς. — 5) Aristot. de anim. I, 2. 14. — 6) Diog. Laërt. I, §. 35. — 7) Cic. Tusc. I, 16. — 8) Cic. ibid.

fieri potuit, ut nonnulli, quaedam Pythagoraeorum placita forte audientes, ea ab ipso Pythagora esse profecta crederent. Ex his, arbitror, satis intelligitur, quanta cautione ea in re veterum testimonia sint adhibenda. Indoles autem scholae philosophicae, quae a Pythagora Crotonae, inferioris Italiae urbe, sexto ante Christum natum saeculo condita vulgo Italica vocabatur, in eo maxime perspiciebatur, quod eius alumni a numeris et mathematicorum initiis omnia proficisci volebant [1]), qua de causa ea schola mathematica interdum nominabatur. De animi humani origine ita statuit Pythagoras, Deum esse animum, per universas mundi partes omnemque naturam commeantem atque diffusum, ex quo nostri animi caperentur, et quo omnia, quae nascerentur, animalia animarentur [2]). Animum autem humanum, (quem esse numerum se ipsum moventem dixit [3]), divisit in partes duas, quarum alteram νοῦν, alteram ψυχὴν appellabat; illam quidem, in qua placida quietaque constantia ponenda esset, esse immortalem, hanc tamen, in qua essent motus rationi contrarii inimicique, mortalem esse affirmavit [4]). Mortalem autem partem Pythagoras rursus in duas partes (μέρη) dividebat, quarum ex eius sententia altera (τὸ θυμικόν) ad iram, altera (τὸ ἐπιθυμητικόν) ad cupiditates spectabat [5]). M e t e m p s y c h o s i n quoque quandam ille philosophus docuit, sed qualis ea fuerit, non satis constat, quum nulla fere antiquitatis monumenta huc pertinentia exstent, quibus tuto niti possimus. Probabile tamen est, eum hanc doctrinam ex Aegyptiorum placitis hausisse [6]), nec non censuisse, in sorte animi futura definienda respici ad vitam anteactam [7]). Hanc doctrinam Pythagoraei seriore aevo tanto magis commutasse et deformasse videntur, quanto magis a disciplinae suae parente aetate abfuere. Inter eos autem, qui philosophum illum Samium ipsum audiverant, erat A l c m a e o n C r o t o n i a t e s, qui primus exsectionem cadaveris aggressus esse dicitur. A magistri sui disciplina nihil fere dissedisse videtur, docuit enim, sideribus divinitatem inesse, eaque semper moveri; eadem natura hominum animas, ob eamque causam immortales esse [8]). Paulo diversior erat doctrina E m p e d o c l i s A g r i g e n t i n i, Pythagoraei cuiusdam discipuli, qui Periclis aetate in Sicilia floruit. Docuit, quatuor esse elementa, ignem, aëra, aquam et terram [9]), e quibus intercedente amore et contentione omnia essent

---

1) Aristot. metaph. I, 5. Cic. Ac. Qu. II, 37. — 2) Cic. Sen. c. 21. N. D. I, 11. Lactant. div. inst. I, 5. — 3) Arist. de an. I, 2, 4. Stob. ecl. p. 862. ed. Heer. — 4) Plut. plac. phil. IV, 7. Cic. Tusc. IV, 5. — 5) Plut. plac. phil. II, 4. Stob. ecl. p. 878. — 6) Confer. Herod. II, 123. — 7) Diog. Laërt. VIII, 31. — 8) Aristot. de anim. I, 2, 14. Cic. N. D. I, 11. Diog. L. VIII, 83. — 9) Diog. Laërt. VIII, 76.

orta [1]); cuilibet homini duas esse animas, alteram a summo Deo oriundam, quae, quum antea fuisset daemon, ad poenam subeundam esset in corpore humano [2]), alteram esse inferiorem, eiusque sedem esse sanguinem [3]); animam priorem tamdiu varias corporum formas induere [4]), donec ad pristinam integritatem reducta ad summum Deum reverti et maxima felicitate frui posset [5]).

§. 9.

Empedocli aetate paulum antecedebat Leucippus, qui atomorum condidit doctrinam. Censuit, universum esse infinitum, huius alteram partem esse τὸ πλῆρες (Plenum), alteram τὸ κενόν (Inane) [6]); esse in infinito Inani corpuscula quaedam propter soliditatem individua, quae ἀτόμους appellabat, e quibus nulla cogente natura concursu quodam fortuito non solum effectum esset coelum et terra, sed hominum quoque animae essent ortae [7]). Has non esse immortales, Leucippus statuisse merito creditur, dixit enim, omnia, quae atomorum turba essent confecta, aliquando esse dissolvenda [8]). Leucippi autem placitis multa addidit eius discipulus Democritus Abderites. Quod ad animam adtinet, is magistri vestigiis ingrediens censuit, eam constare igneis atomis [9]), et cum corpore interire [10]); mortuis autem vitam quandam tribuit, quippe qui caloris appulsu afficerentur [11]).

Coniunctus Leucippi aetati erat Heraclitus Ephesius, cui de natura nimis obscure memoranti cognomentum σκοτεινός est inditum [12]). Hic philosophus censuit, omnia ex igne constare, in eumque resolvi, animorum et daemonum plena esse omnia, animam siccam (αὔην ψυχήν) esse optimam et sapientissimam [13]), splendori puro parem iu[illegible]ndam [14]); animam non interire, sed relicto corpore aliquando in animam mundi sibi cognatam abire [15]).

Sub idem tempus vixit Anaxagoras Clazomenius, qui ab Anaximene, philosopho Ionico, disciplinam acceperat, omniumque primus Athenis philosophiam docuit, ubi inter eius auditores erant Pericles et Euripides. Primus inter Graecos docuit, omnium rerum descriptionem et motum mentis in-

1) Cic. N. D. I, 12. Amic. c. 7. Diog. Laërt. l. l. Suid. s. v. Μανῆς. — 2) Sext. Empir. adv. math. 8, 286. 9, 127 ed. Fabric. — Stob. ecl. p. 894 ed. Heer. — 3) Plut. plac. phil. IV, 4. Euseb. pr. ev. I, 8. Brucker hist. cr. phil. T. I, p. 1117. — 4) Diog. Laërt. VIII, 77. — 5) Poës. phil. H. Steph. p. 28. ex Clem. Alex. — 6) Cic. Ac. Qu. II, 37. Diog. Laërt. IX, 30. — 7) Cic. N. D. I, 24. Tennemann, Gesch. d. Phil. B. I, S. 269. — 8) Conf. Buhle, G. d. P. I, S. 329. — 9) Arist. de an. I, 2, 2. 12. Plut. plac. phil. IV, 3. Tennemann Gesch. d. Phil. B. I, S. 281. — 10) Arist. de respir. c. 4. — 11) Plut. plac. phil. IV, 4. — 12) Cic. Fin. II, 5. — 13) Plut. de def. orac. IX, p. 367. ed. Hutt. — 14) Stob. serm. 17. — 15) Sext. Empir. Pyrrhon. Hyp. III, 230. Buhle, G. d. Phil. Th. I, S. 321.

finitae, quae ab eo νοῦς vocabatur, vi ac ratione designari et confici [1]). Dixit idem, ab illa mente infinita hominum animas trahere originem, ob eamque causam esse immortales [2]).

§. 10.

Illa aetate Athenis multi ostentationis aut quaestus causa philosophabantur, qui sophistae nominabantur, qua de causa id nomen, quod antea viris sapientissimis erat inditum [3]), contemtui esse coepit. Horum sophistarum instituta subtilitate quadam disputandi refutare solebat celeberrimus ille Socrates, qui Anaxagoram eiusque discipulum Archelaum audiverat, et ingenii magnitudine tantum sibi nomen comparavit, ut primus philosophiam e coelo devocasse putaretur. Quum inter omnes satis constet, maxima eius fuisse merita de philosophia ad vitam communem adducenda, de iis hoc loco silere, quam parum dicere malumus. Eius autem placita, quum ipse nullam literam relinqueret, plures, qui eum audiverant, scriptis suis posteritati tradiderunt; qua de re insignem quidem laudem adeptus est Plato, sed quum multa, quae ipse excogitaverat, illi magistro tribueret, scripta Xenophontis et Aeschinis, qui Socraticus dicitur, multo sunt aptiora ad meram et immutatam Socratis disciplinam perspiciendam. Socratis autem de animi immortalitate opinio erat, animos hominum commune quoddam cum natura divina habere, neque morte deleri, iisque, quum a corpore solverentur, duas esse vias; qui pietati studuissent, eos migrare in loca, ubi summa et propria felicitate fruerentur; animos autem eorum, qui vitiis se dedissent, ad poenas subeundas duci in locum horridum, a beatorum sede seclusum. [4])

Socrate defuncto, inter philosophos maxime excelluit praeclarus ille Plato, qui tot tantaque ingenii sui monumenta nobis reliquit. In anima definienda et dividenda secutus est Pythagoram; censuit autem, animam rationis participem aut fato [5]) aut ad poenam luendam [6]) corpore esse cinctam, eamque esse immortalem, cuius sententiae primus argumentationem, inprimis in eo libro, qui Phaedon vel περὶ ψυχῆς inscribitur, literis consignare conatus est. Argumenta autem, quibus usus est, haec sunt:

1. Est haec mutatio rebus, ut in contrarium statum redigantur; ex hoc illud efficitur, si mortui fiant e vivis, vivos fieri e mortuis; nam si nulla mortem consequeretur vita, mox nihil vita frueretur [7]).

1) Cic. Nat. D. I, 11. Diog. Laërt. II, 6. — 2) Arist. d. an. I, 2. — 3) Herod. IV, 95. — 4) Xenoph. Memorab. I, 4, 8. Aesch. Axioch. §. 17—21. Cic. Amic. c. 4. Tusc. 1, 29. 30. — 5) Plat. Tim. p. 1054. D. ed. Francof. — 6) Pl. Gorg. p. 336. C. ed. Fr. — 7) Plat. Phaedon. §. 15 etc.

2. Ex ea facilitate, qua ex hominibus non eruditis bene interrogando multa possunt elici, quae nunquam didicerunt, perspici potest, eorum animos, antequam corporibus cingerentur, in rerum cognitione viguisse [1]). Quod vero animi ante hanc vitam iam exstiterunt, eos morte non deleri confitendum est [2]).

3. Animus hominis est simplex; quodcunque autem non est compositum, nullo modo dirimi ac dissipari potest. [3])

4. Quum animus vi sua, non aliena, moveatur, nulla vi externa cogi potest, ut aliquando moveri desinat, ipse enim est movendi principium caeteris rebus, quae moventur; principii autem nulla est origo, nam e principio oriuntur omnia; quod autem nullum habet ortum, nunquam potest interire, principio enim exstincto coelum et terra intereat necesse est. [4])

5. Quanquam animus ignorantia, vitiositate aliisque malis, quae sub sensus non cadunt, saepe laborat, iis tamen non exstinguitur; quodsi autem tantis malis non deletur, eo minus id fieri potest minoribus illis malis, quae sub sensus cadunt. [5])

Hisce argumentis a viris doctis obiecta sunt multa, quae hic recensere non est nostri consilii; ex iis autem, quae commemoravimus, patet, Platonem quoque metempsychosin esse statuisse. Censuit enim, hominum animis tamdiu in varia corpora esse migrandum, donec decem mille annorum spatium completum esset, homines autem optimos eam migrationem intra tria millia annorum conficere [6]); Orcum esse receptaculum omnium animorum, eumque in quatuor partes dividi, quarum duae probos, caeterae improbos manerent; qui inter bonos maxime excelluissent, eos in Deorum genus esse perventuros [7]), caeteros bonos in campis Elysiis esse versaturos [8]); improborum eos, qui in malitia perseverarent, ad Tartara deiici, caeteros improbos iuxta paludem Acherusiam tamdiu puniendos esse, donec emendati felicitatem adipisci possent [9]).

§. 11.

Platonem magistrum viginti annos audiverat celeberrimus **Aristoteles**; nihilo tamen secius novam disciplinam condidit, quae peripatetica vocabatur. Quod adtinet ad animam, de ea Stagirites admodum obscure disseruit; sufficiet igitur, si pauca clariora huc spectantia referam. Docuit, animam esse primam ἐντελέχειαν vel, ut ita dicam, primam *conditionem existentiae* corporis physici organici [10]);

1) Plat. Men. §. 15. Phaed. §. 18. etc. — 2) Plat. Phaed. §. 23. — 3) Plat. Phaed. §. 25. etc. — 4) Plat. Phaedr. p. 1221. B. Conf. Cic. Tusc. I, 23. — 5) Plat. de republ. X, p. 757. D. 759. C. — 6) Plat. Phaedr. p. 1223. D. — 7) Phaed. §. 32. — 8) Plat. Tim. pag. 1054. E. Epinom. pag. 1003. E. 1004. A. — 9) Plat. Phaed. §. 62. — 10) Aristot. de an. II, 1, 6.

animae tres esse facultates, nutrientem, sentientem et rationalem [1]); intellectum (τὸν νοῦν) facultatem hominis propriam ac duplicem esse, agentem (ποιητικόν) et patientem (παθητικόν); illum potentiam cognoscentem esse, hunc rerum formas suscipere; intellectum patientem esse mortalem, agentem autem immortalem et aeternum, et post discessum e corpore novo corpore cingi posse, ita tamen ut superioris vitae prorsus esset immemor [2]). Caeterum notandum est, ab Aristotele dialogum quidem, qui *Eudemus* erat inscriptus, de animi immortalitate esse conditum, eum tamen praeter pauca fragmenta esse deperditum [3]).

Acerrime autem Dicaearchus, Aristotelis discipulus, contra animi immortalitatem disputavit; is enim tres libros scripsit, (qui Lesbiaci vocabantur, quod Mitylenis sermo habebatur,) in quibus docuit, nihil esse omnino animum praeter vim corporis vivi, ob eamque causam eius immortalitatem nihil esse [4]).

Dicaearcho aequalis erat Epicurus, qui, quum in disciplina condenda Democriti sententias maxime sequeretur, animos hominum mortales esse putavit. Docuit animam corpoream esse, quippe quae ex atomis composita esset [5]), cogitandi facultatem (τὸ λογικόν) constare ex atomis omnium subtilissimis, quae ab anima rationis experte distinguenda esset et in pectore habitaret; animam rationis expertem (τὸ ἄλογον) toto corpore diffusam esse [6]); omnia, quae atomorum concursu orta essent, aliquando esse interitura, et nos post mortem nullos futuros [7]); diuturnitatem temporis ad beate vivendum nihil afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa esset sempiterna [8]); mortem nihil ad nos pertinere, quod enim dissolutum esset, id carere sensu, quod autem sensu careret, id nihil ad nos pertinere [9]). Talem doctrinam a Cicerone aliisque viris cordatis merito esse improbatam, non est cur miremur.

In plerisque sententiis ab Epicureis dissentiebant Stoici, quorum disciplinae auctor erat Zeno Cittiaeus, Epicuri aetati adiunctus. Docuerunt Stoici, Deum esse animam mundi vel mentem per totum mundum penetrantem et commeantem; huius mentis partem esse animam humanam [10]); eam esse corpoream, et quidem spiritum calidum (πνεῦμα ἔνθερμον), quem spiraremus et a quo moveremur [11]); animas non semper, sed diu esse mansuras [12]);

---

1) Arist. de an. II, 2. 4. 5. 6. 12. III, 12. — 2) Aristot. de an. III, 5, 3. 4. — 3) Buhle Lehrb. d. Gesch. der Phil. Th. II, S. 351. Cic. de div. I, 25. — 4) Cic. Tusc. I, 10. 18. 22. 31. Ac. II (IV), 39. — 5) Diog. Laërt. X, 63. 66. 67. Plut. plac. phil. IV, 3. — 6) Diog. Laërt. X, 66. — 7) Diog. Laërt. X. 64 sq. — 8) Cic. Fin. II, 27. — 9) Cic. Fin. II, 31. Diog. Laërt. X, 139. — 10) Diog. Laërt. VII, 143. 156. — 11) Cic. Tusc. I, 9. N. D. III, 14. Ac. Qu. I, 11. Diog. L. VII, 157. — 12) Cic. Tusc. I, 31. Euseb. praep. ev. p. 480. ed. Lutet.

tempus esse venturum, quo hic mundus ignesceret, ut eius renovatio fieri posset [1]); tum animas in mente divina confundi. Sed ea de re duae erant Stoicorum sententiae; altera Cleanthis, cui placuit, omnes animas usque ad mundi conflagrationem esse duraturas [2]), altera Chrysippi, qui censebat, solas sapientum animas ad id tempus esse servandas, quippe quae firmiores essent, caeteras autem facile dissipari [3]) Caeterum Zeno Tarsensis et Panaetius in eo a caeteris Stoicis discrepabant, quod mundum aliquando igni esse interiturum negabant [4]). Idem Panaetius, Scipionis Africani Aemiliani amicus, negavit, animis immortalitatem esse tribuendam [5]).

§. 12.

Panaetii aetate philosophia etiam apud Romanos, de quibus nunc dicendum est, in aliquo honore esse coepit.

Satis inter omnes convenit, historiam Romanorum antiquissimam, eam quidem, quae Fabricii et Pyrrhi aetatem excedat, haud raro nimis obscuram esse. Quod ad res sacras adtinet, memoriae quidem proditum est, omnes fere res, quae apud Romanos ad cultum Deorum et ad sacra obeunda, quaeque praeterea aliae ad religionem spectaverint, a Numa rege esse profectas [6]), sed ea res talis non est, quae omni careat dubio. Qui enim recte perpendit ea, quae ab auctoribus tradita sunt, non poterit negare, Romanos multa ex Pythagoreorum disciplina hausisse videri; quam sententiam haud obscure approbat Cicero his verbis [7]): „*Pythagorae autem doctrina quum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem: idque tum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis enim est, qui putet, quum floreret in Italia Graecia potentissimis et maximis urbibus, ea, quae magna dicta est, in hisque primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse?*“ et paulo infra: „*multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis, quae praetereo, ne ea, quae reperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur.*“ Haec Cicero. Sciebant itaque Romani, multa eorum instituta a Pythagoreorum disciplina non esse aliena, ob eamque causam nonnulli Numam regem fuisse Pythagoreum putabant; sed ea opinio multum a vero distat, nam Numa permultis annis ante fuit quam Pythagoras [8]). Satis autem, arbitror, perspicuum est, multa, quae a Numa condita esse traduntur, ad multo seriora tempora esse referenda. Iam

1) Cic. N. D. II, 46. — 2) Diog. Laërt. VII, 157. — 3) Diog. Laërt. l. l. Plut. plac. phil. IV, 7. — 4) Cic. N. D. II, 46. Euseb. praep. evang. p. 479 ed. Lutet. — 5) Cic. Tusc. I, 32. — 6) Liv. I, 18—21. — 7) Tusc. IV, 1. — 8) Conf. Liv. I, 18. Cic. Or. II, 37

antiquo autem tempore Romanis erat insitum, animos post mortem permanere, ut auctor est Cicero. [1]) Hoc eo magis veritati consentaneum videtur, quod Livius tradit, a Numa rege Marcio pontifici id quoque negotium datum esse, ut populum de Manibus placandis edoceret [2]). Magnum quoque testimonium ei rei afferunt res a Romanis gestae, non enim verisimile est, tot Romanos se pro patria ad mortem obtulisse, nisi spe haud parva vitae futurae post mortem agendae fuissent imbuti.

Quod adtinet ad Romanorum philosophos, ii res suas fere omnes e Graecorum doctrinis hauriebant, neque ullus eorum novum condidit systema. Quae de animorum immortalitate disputavit Cicero, in iis Platonem, quem magnopere habuit in deliciis, maxime est secutus, eaque exposita peti possunt e libro de contemnenda morte, e somnio Scipionis et e libro de senectute. In eo autem a prioribus philosophis differt, quod ad illam rem argumentis confirmandam ad populorum consensum quoque provocat [3]), cuius argumentationis summa haec est: De quo omnium gentium natura consentit, id verum est; nulla autem gens est, quae hominum animos esse aeternos non statuat; animus igitur hominis immortalis est.

Ciceronis aetate floruit Lucretius, qui magnum poëma confecit de natura rerum, in quo Epicuri doctrinam exposuit, animosque esse mortales ad modum huius philosophi demonstrare conatus est [4]).

§. 13.

Apud veteres interdum mentio fit gentis ad inferiorem Danubium in Thracia habitantis, quae Getica appellabatur. Omnium Thracum Getae erant iustissimi et fortissimi, apud quos Zalmoxis tantam sapientiae laudem meruit, ut post mortem a popularibus tanquam Deus coleretur. [5]) Getas docuit, eorum animos esse immortales, qua de causa multi putabant, eum sua ex Pythagorae disciplina hausisse [6]), sed verisimile videtur, Zalmoxidem multo ante Pythagoram vixisse.

Apud Gallos autem antistites sapientiae omnis erant Druidae, quorum magna erat potestas, non modo quod eorum scitis omnes res ad religionem et sacra pertinentes erant subiectae, sed etiam, quod penes eos arbitrium erat causarum publicarum et privatarum [7]). Doctrinam arcanam a Britannis acceptam, sollerti studio alienos celare solebant [8]). Animae immortalitatem eos

---

1) Cic. Tusc. I, 12. — 2) Liv. I, 20. Conf. Cic. Leg. II, 9. — 3) Cic. Tusc. I, 13. — 4) Lucret. de nat. rer. III, v. 557 sqq. — 5) Herod. IV, 93—96. Strab. VII, cap. 3. — 6) Herod. IV, 95. Strab. l. l. — 7) Caes. B. Gall. VI, 13. — 8) Caes. B. Gall. VI, 13 14.

asseruisse, et metempsychosin docuisse, Caesar memoriae tradidit, cuius verba huc spectantia haec sunt [1]: „*In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.*"

§. 14.

Postquam sententias, quas gentes a Iudaeorum sacris alienae ante Christum natum habebant de animae statu post mortem, quam brevissime fieri potuit, exposuimus, non possumus quin confiteamur, gentibus antiqui orbis consensionem quandam de animorum immortalitate fuisse. Quanquam enim nonnulli philosophi in errore versantes vel spe gloriolae adducti contra animi aeternitatem disputaverunt, ad eos tamen pertinet insigne illud pronuntiatum Aristotelicum: „ὃ πᾶσι δοκεῖ, τοῦτο εἶναί φαμεν. ὁ δ᾽ ἀναιρῶν ταύτην τὴν πίστιν, οὐ πάνυ πιστότερα ἐρεῖ. *Quod omnibus videtur, ita esse statuitur. Nec qui communem illum consensum tollit, probabiliora allaturus est.*" [2])

Caeteroquin apud scriptores Graecos et Romanos multa reperiuntur, quae cum decretis religionis Christianae quodam modo consentiunt, ob eamque causam clarissimus ille Erasmus Roterodamus de egregiis antiquitatis auctoribus iudicans haec in medium profert: „*Profanum dici non debet, quicquid pium est et ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubique prima debetur auctoritas; sed tamen ego nonnunquam offendo quaedam vel dicta a veteribus, vel scripta ab ethnicis, etiam poëtis, tam caste, tam sancte, tam divinitus, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, quum illa scriberent, numen aliquod bonum agitaverit. Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quam nos interpretamur.*" [3]) Haec Erasmus. Itaque, quum nonnulli scriptores prope ad decreta religionis Christianae in pluribus rebus accederent, probabile est, ex divino consilio non solum apud Iudaeos, sed etiam apud eos populos, qui vulgo *gentiles* vocabantur, tales opiniones invaluisse, ut doctrinae Christianae viam munirent. Nobis autem considerantibus, Deum Optimum Maximum antiquissimo iam aevo hominibus consuluisse, eosque spe praemiorum vitae aeternae imbuisse, confidenter credendum est, eum etiam in posterum pro summa sua benignitate generis humani saluti omni modo esse prospecturum.

---

1) Caes. B. G. VI, 14. Conf. Pomp. Mel. III, 2. — 2) Arist. Eth. Nicom. X, 2, 23. — 3) Conviv. relig. med.